

Sic eram varie ob nundinas occupatus quum hæc scriberem, plura ut scribere non possem. Scis, optime Dn. Compater, quo sum ingenio. Amo pietatem, sobrietatem, diligentiam & alacritatem in studiis. Noctu non patior meos periclitari in plateis. Paucis & bonis hospitibus delector. Bene vale, Mea Lavinia honestissimæ tuæ Conjugi mittit libellum hunc dono, & petit ut boni consulat. Basileæ 4. Septembris 1583. Vale.

### EPISTOLA XXXI.

**S** De mea erga propinquum, Vir clarissime Tuum Magnifici Domini Geuderi filium, benevolentia, & de hospicio domi meæ eidem jam destinato: ea nuper mihi videor scripsisse, quæ vobis satis esse factura, mihi persuadeo. Nunc te oro, primum ut meas ad D. Comitem Ostroroganum literas cum disputationis exemplari, mittere non graveris. Bene de me meritus est inclytus ille Juvenis, & solet is ad me *Φιλαφρόνως* scribere. Adjunxi autem hospitis mei, & egregii Polyhistoris Christ. Barnecovii, Dani (qui te Jenæ sibi olim, notum, amanter salutatur) ad Patricium Colerum literas: nihil dubitans haud gravatim te illi exhibiturum. Academia

mia